



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iona Propheta**

**Luther, Martin**

**Argentorati**

**VD16 B 3892**

Eximio Viro, D. Iohanni Mantel, Parrocho Hyffizensi, in Christianiſimi principis D. domini Philippi Marchionis Badensis &c: ditone, suo in Christo dulciſimo, Ioannes Lonicerus Gratiam & pacem in ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36534**

EXIMIO VIRO, D. IOHANNI MANTEL,  
Parrocho Hyffizenfi, in Christianiffi-  
mi principis D. domini Philippi Mar-  
chionis Badensis & c. ditione,  
fuo in Christo dulciffi-  
mo, Ioannes Lo-  
nicerus  
Gratiam & pacem in Christo Iefu  
feruatore nostro.

**E**T doctrine tuae & morum integritas, chariffi-  
me Mantel, quam tum Stutgardiae olim ipse ex-  
pertus sum, tum aliorum piorum fratrum testimo-  
nijs didici, facit, ut memoriam tuam, nulla unquam ob-  
liuione delendam censuerim. Quod si apud gentes,  
sanctae erant amicitiae leges arctum Gratiarum uin-  
culum, quanto potius inter Christianos, spiritu Chri-  
sti conglutinatos, assidua debet uigere charitatis re-  
dintegratio? Sed ne te diutius morer, Primum gau-  
deo te consortem factum esse afflictionum corporis  
Christi, carcer enim, cui biennium fere propter Chri-  
stū inclusus fuisti, argumento est, Euangeliū te nūc iasse  
eiusque uestigia sequutum esse. At postquam Serua-  
tori nostro placuit, ut eriperet te à faucibus calu-  
mniatoris, in illustriss. christianissimisque uere princi-

A ij pis

PRIMO VIRI D. HONORATI MAN-

pis Marchionis Badensis & c: ditionem transtulit,  
ut illic Euangelij sui praekonem agens, ecclesiae sua  
praeeses. Gratulor itaq; officio tuo, charissime Man  
tel, gratulor item ecclesiae Hyffizensi, quae te uocatum  
& electum, pastorem suum agnoscit & praesulem.  
Ingens tibi munus delegatum est, restat ut ministeri  
um tuum, quod facis, diligenter implere pergas, pro  
que Christi ouibus, ut bonus opilio, fideliter canas  
excubias. Quia uero periculosa sunt hodie tempo  
ra, quibus, ut nunquam antehac Satanas, quam plu  
rima conatur, ut à Christo, unico scopo nostro, nos  
abducat, Visum est mihi admonere te officij tui, ut  
Christum iugiter praedices, in ea petra firmus &  
immobilis haereas. In sacra scriptura (quae est lucer  
na in loco caliginoso lucens, ut Petrus ait, caetera no  
sti) nunquam non perseueres, eam & noctu & in  
terdiu mediteris. Porro, ubi nuper inciissem in an  
notationes M. Lutheri super Ionam, sic pie, sic san  
ctae, sic diuinae mihi uisae sunt, ut nihil supra, ut &  
me continere non potuerim. quin protinus eas latini  
tate donarem. Fateor, non debebant alia, quam De  
mosthenica, uel Tulliana, uel Erasmica, uel si qua est  
maiore, ut alioqui eius omnia, ita haec praclarissima  
quoq; monumenta uerti, non mea incompta dictio  
ne, Sed pius affectus ille, quo in hominem Dei rapi  
or

or, in causa est, ut uel tanta me audere non pudeat,  
praesertim quom & regnum & gloriam Christi,  
uel hac parte promoueri non sit quod diffidam.

Hunc qualemcunq; laborem meum ideo tibi dedica-  
ui optime Mantel, ut sit hic Ionas ueluti dux, & sa-  
cra quaedam concionum tuarum anchora. Est enim  
in ea summa Christianismi absolutissime compre-  
hensa, & quicquid ad uitam Christo dignam perti-  
net. Atqui, tute ipse ubi relegeris matora opinione  
in eo libello reperies, & quam se ipso praecellenti-  
or sit Lutherus agnosces. Quod si Ionæ annotatio-  
nes has familiares tibi feceris, facile disceptationes  
quascunq; & uanas quaestiones defugies, & in sa-  
cris literis persistes fidus ouium tibi commissarum  
pastor. Proinde Ionam hunc, eo animo quo tibi  
illum obtuli, suscipias, idq; munusculi mei in te pe-  
toris fidele symbolum esse sinas oro.

Vale in Christo, cum germana

tua coniuge, qui cum se

lix fortunatumq;

perpetuo

coniugium esse

tibi precor. Argent.

M. D. XXXVI.

IN IO=

6 3